



Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinae, Sacr. Theologiae, Ac I. V. D. Vticensis
Episcopi, Tractatus De Legitima Svmmi Pontificis
electione, iuxta Summorum Pontificum, praesertim
Gregorij XV. & Sanctiss. D. N. Vrbani ...**

Bonacina, Martino

Lvgdvni, 1637

III. De quatuor aliis conditionibus requisitis ex parte eligentium, quarum
prima est, vt elector non eligat seipsum: secunda, vt eidem non
suffragetur in scrutinio, & in accessu: tertia, vt dignum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10669

nalem consil. 97. & 99. ac alios apud Iacobatum loco citato.

P V N C T V M III.

De quatuor aliis conditionibus requisitiis ex parte eligentium , quarum prima est , vt elector non eligat se ipsum : secunda vt eidem non suffragetur in scrutinio , & in accessu : ter tia, vt dignum eligat : quarta , vt alia à iure sibi præscripta obseruet.

S V M M A R I V M.

- 1 Elector se ipsum eligere non potest.
- 2 Elector qui suffragium uni in scrutinio dedit , non potest eidem in accessu suffragari.
- 3 Electores debent idoneum eligere.
- 4 Electores possunt cæteris paribus eum preferre , quem sibi magis propitium sperant.
- 5 Cardinalis qui suffragium digno confert relieto digniori , quem ipse eligi vellet , aliis eum respuentibus , à mortali excusatur.
- 6 Cardinalis tribuens votum manifestè indi gno , non ut eligatur , sed ut votum inane reddatur , per se loquendo grauiter peccat .

E 7 Electo

66 De Electione legitima

7 Electores seruare debent ea quæ sibi præscripta sunt.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Lector se ipsum eligere non potest,
E alioquin electio irrita est ex Gregoria-
na constitutione , si suffragium proprium com-
pleteat numerum requisitum ad electionem : de
hac conditione plura infrà , dum agam de re-
quisitis ex parte formæ , seu de electione per
scrutinium, quæst. 5 . condit. 4.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Lector non potest in accessu illi suffra-
gium ferre cui suffragatus est in scruti-
nio , alioquin suffragium accessus irritum est,
sicut etiam irritum est , dum inter schedulas
scrutinij , nulla reperitur schedula notata eo
signo quo notata est schedula accessus , ut pa-
ret ex Bulla Gregorij XV, in §. At si.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Lectores debent idoneum eligere
(quanquam hac conditione deficien-
te irrita non est electio , nisi simul adsit de-
fectus

fectus substantialis.) Ratio est, quia Cardinales constituuntur, ut loco vniuersitatis idoneum Ecclesiæ Pastorem eligant; ergo contrà proprium officium delinquunt, eum eligendo qui tanto muneri aptus, & idoneus non est. Idoneus autem is dicitur, qui debita scientia, peritia, fama, virtute integritate, viribus, ætate, & legitimis natalibus gaudet, ita S. Thomas 2.2. quæst. 63. art. 2. Sotus 3. de iust. quæst. 6. art. 2. concl. 9. Miranda in manuali tom. 2. quæst. 23. art. 13. & alij communiter.

4 Existimo tamen cæteris paribus liberum esse Electoribus eligere quem velint ex duobus æquè idoneis. Ratio est, tum quia in hoc etiam libertas electionis posita est; tum quia nulli faciunt iniuriam, cum dignum eligant, nec duos eligere possint.

Amplia, etiamsi Electores id faciant, vt propriis commodis consulant, nam in diiudicanda personæ eligendæ habilitate, rationem quidem habere non debent priuati commodi, sed publicæ utilitatis; lato tamen iudicio de alicuius habilitate, & aptitudine, iuxta communem, & publicam utilitatem, vetitum non videtur cæteris paribus ex duobus æquè dignis eum eligere, quem Electores sibi magis propitium sperant. Ratio est, tum quia Gregorius X V. in sua constitutione non prohibuit

buit rationem sui commodi secundariò haberi, sed vetuit carnem, sanguinem, & humanam sapientiam, quæ stultitia est apud Deum, dominari, hæc autem dominantur, dum in electione ratio præcipue non habetur publicæ utilitatis, sed priuati commodi; tum quia nullus unquam carnem propriam odio habuit; tum quia ex ordinata charitate, quilibet potest se ipsum cæteris paribus præferre, in hoc autem casu cætera paria sunt, cum ambo æquè digni sint, ut suppono; ergo.

5 Maior difficultas est primò, utrum à mortali excusetur Cardinalis, qui suffragium confert digno, relicto digniori, quem ipse eligi vellet; sed alij cum respuunt, & suffragium ei conferre nolunt.

Respondeo excusari posse, tum quia per ipsum non stat ne dignior eligatur; tum quia acquiescere potest aliorum conscientiæ existimantium aliud digniorem, & hoc præser-tim valet, si animaduertat absque suo voto, & suffragio compleri numerum ad electionem requisitum, vel id faciat ad præcauendas amicorum dissensiones, odia, & persecutiones; quanquam huiusmodi periculum hoc tempore imminere non solet, cum suffragia per scrutinium & accessum occultè ferantur, ita sentire videtur Albanus de Cardinalibus q. 10.

&

& Azorius 2. parte lib. 4. cap. 3. quæsto 17.
dum in simili quærunt, an Cardinalis tutæ
conscientia tacere possit, dum aliquid in con-
sistorio contra vtilitatem, & decus Ecclesiæ
proponitur.

6 Secundò difficultas est, vtrum grauiter
peccet Cardinalis, qui votum & suffragium
manifestè indigno tribuit, non vt eligatur, sed
vt votum inane reddatur, aut alia de causa.

Respondeo, grauiter peccare per se lo-
quendo. Ratio est, tum quia facit contra pro-
prium officium, votum indigno tribuendo;
tum quia iniuriam dignioribus irrogat, tum
quia Summi Pontificis electio hoc pacto diu-
tius differtur, & prorogatur cum notabili Ec-
clesiæ damno, seu periculo. Dixi per se lo-
quendo, quia per accidens fieri potest, vt ex-
cusetur, si videlicet votum indigno iusta de
causa tribuat, sciens fore vt ipse indignus non
promoueatur, sed dignior iniecta mora eli-
gatur. Ratio est, tum quia tunc non dicitur eli-
gere indignum, cùm certò ipsi constet votum
indigno non profuturum, vt suppono; tum
quia iniuriam digniori non facit, cùm moras
neqtat, vt dignior eligatur, eique melius
consulatur.

QVARTA PROPOSITIO.

7 Lectores obseruare debent ea, quæ fibi
à Summis Pontificibus præcepta sunt,
& ab iis abstinere debent, quæ ipsis interdi-
cta fuerunt, ut ex se patet; quanquam hæc vi-
tiare non solent electionem, iuxta dicenda
in Quæstionibus, & Punctis proximè se-
quentibus.



QVÆSTIO II.

*De requisitis ex parte Electi ad
validam Summi Pontificis
electionem.*

S V M M A R I V M.

- 1 Eligendus in Papam debet esse masculus, &
non fæmina.
- 2 Fæmina nulla fuit unquam in Papam electa.
- 3 Acta huiusmodi fæminæ irrita essent.
- 4 Vir coniugatus valide eligi potest.
- 5 Eligendus in Papam rationis usum habere
debet.
- 6 Pontifex cuiusnam ætatis esse debeat dum ad
Pontifi